

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XVII. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Cyrillus scribit, quod vox Christi adeo penetrabilis fuerit, ut, si tum temporis ad loculum juvenis, vel tumulum Lazari clamasset: Vos mortui qui ab Adami ætate ad hoc usque tempus occubistis, surgite cum hoc adolescente, cum Lazaro hoc: illi omnes necessario surrexissent & prodissent. Quia verò tum temporis nondum fieri debuit, ideo die novissimo efficaciter illud demonstrabit, & quamprimum vocabit: Surgite mortui, venite ad iudicium! Dicitur erit factum, & mortui magni & pusilli stabunt coram throno ejus, Apoc. 20. v. 12. Esa. 40. v. 36.

Hoc illorum solatio infervit, qui parentibus, conjugibus, liberis, amicis & propinquis per mortem privantur. Die novissimo omnes vicissim conveniemus. Ibi Servator, jam mæsto viduo conjugem suam, matri jam lugenti, liberos, amico jam dolenti propinquos suos restituet, ut neque vita neque mors illos amplius separare possit. Rom. 8. v. 38. sed in æterna gloria cohabitabunt, & cum Christo erunt semper, 1. Thess. 4. v. ult.

Quod nobis omnibus ex gratiâ largiatur Deus Trinitus, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

DOMINICA XVII. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 14. v. 1 -- 12.

EXORDIUM.

CYgnum Numen divinum inter aves immundas retulit, & Israelitis severè interdixit, ne carne ejus vescerentur, Lev. 11. v. 17.

Cygnus avis non contemnenda est, magnitudine anseris, vel major adhuc, & si rectè præparetur, non adeo respuendus videtur. Atqui Judæis anseribus vesci licitum fuit, non verò cygnis, causam nonnulli ex veteribus hanc reddunt, quod niveas pennas gerat, in carne nigrâ; quo ipso imaginem exhibent omnium hypocritarum, qui exterius speciem sanctitatis præseferunt, in corde verò nigri sunt, omnimodis vitiis repleti: quod abominabile est coram Deo. Ex hac causa Deus Israelitis interdixit, ne cygnos sacrificarent nec comederent, ut hinc exemplum caperent,

sicut volucrem hanc repudiaverit, quod sub candidis plumis nigram carnem occultet: Sic multò magis ipsi improbatum iri hypocritas, qui ore dicunt, Domine, Domine, Matth. 7. v. 22. & tamen in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis eorum, Act. 8. v. 23.

Deinde inde quoque esse potuit, quia de cygnis refertur, quod suaviter canent, sed non amè, quam moriantur, ut Ovidius canit:

Catrina jam moriens canit exequialia
cygnus,

Cantator cygnus funeris ipse sui.

Hypocritæ enim idem faciunt, ut pœnitentiam suam in agonem usque mortis procrastinent, putantes, tunc sat citò id fieri:

kkk

fieri:

fieri: Deum facile commotum iri, ut animam in cœlum recipiat. At:

Divina Christi gratia
Quâ sic abusus est datâ:

Vix prosequetur illum.

Verè siquidem Augustinus: *Simulata pietas, non est pietas, sed duplex impietas.* Ideò veri Christiani studiose id caveant, ut non modò Deo in integritate cordis serviant, sicut David, 1. Reg. 9. v. 4. sed & cum proximo sincerè agant, nam in Christo Jesu veritas, Eph. 4. v. 21.

Non hoc observavit Princeps Pharisæorum, qui quidem Christum ad convivium invitavit, quasi sincerè ergà eum affectus esset: verùm sub prætextu hoc occasionem captat, ut in periculum illum adducat, sicut prælectum Evangelium pluribus testatur.

Nos methodo nostra inservientes, videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Scribit Diodorus Siculus, quod in insula quâdam novi orbis, homines reperiantur, qui scissas linguas habeant, adeò prompti loquela, ut non modò hominum orationem formare, sed & avium cantum imitari possint.

Hoc quidem quoad literam fabula videtur: verùm elegantem allegoriam hinc concinnare possumus. Inveniuntur enim inter nos quoque homines, qui non modò bilingues, sed & bicordes sunt: & externè

probos & humanos se simulant, nihilominus virulentiam in corde fovent: sicut exemplum in Principe Pharisæorum, ejusque convivio hypocritico habemus.

Querela respicit

I. *Subdolam observationem.* Hic Pharisæorum Princeps Christum quidem in convivium invitabat, at non ex caritate & amicitia: sed ut causam haberet, quomodo ipse & contribules Domino malum concinnarent, ideò inquit Evangelista: *Et observabant eum.*

Ejusmodi sycophantæ adhuc hodie ubique inveniuntur, qui lynceis oculis omnes actiones nostras observant, nec rarò exploratores emittunt, actionum nostrarum observatores, quò habeant quod carpant, vel proximo incommodum cendant, ut exemplum Doëgi probat, 1. Sam. 22. v. 9.

Id experiuntur *verbi Pracones*, quando veritatem dicunt ex suggestu, adsunt Coryphæi, qui verba in perversum sensum trahunt, egrediuntur foràs, & calumniantur, Ptal. 41. v. 7.

Id comperit *Christiani Magistratus*, qui & ipsi Coryphæos suos habent, & modò in hoc modò in illo eosdem reprehendunt, hunc nimis leniter, illum rigorosè nimis tractant, ut utrinque verificetur, *Et observabant eum.*

Breviter: quilibet Coryphæos suos habet, qui sollicitam ejus rationem habent, quid loquatur, quid faciat, quid edat, quid bibat, quo se amiciat. Verùm quilibet, quæ recta sunt agat, & mittat vanos istos speculatores. Drusus habebat domum, in quam quilibet introspicere poterat, quid rerum ageret: Hanc illi

illi artifex quidam ita adornare voluit, ut nemo illam introspicere, ille autem foris omnia videre posset, si ei sex millia florenorum numeraret. Sed ipse dixit: Mi amice, non pudet me actionum mearum, sed optarem, ut quilibet in tota Urbe videret, quomodo cum meis viverem. Eodem modo affecti sunt veri Christiani, & ita vitam agunt, ut neminem propterea vereantur. Joh. 3. v. 20.

II. *Sabbathi profanationem.* Christus hic quaerit: Licetne Sabbatho curare? Id non ex ignorantia facit, quasi nesciat, quid æquum aut iniquum sit. Minimè. In ipso enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, Col. 2. v. 3. Sed ut eorum sensa eliciat, & audiat, quid illi respondeant, paratus enim erat in utramque partem. Alibi hanc quaestionem ita proposuit: Licet Sabbathis benè facere an malè? animam salvam facere, an occidere?

Videmus hic *Sabbathi diem sanctam esse*, quæ facilè profanari possit, potissimum si cultus Dei negligatur, quod in ultimâ hâc mundi senectâ adeò invaluit, ut multi Judæorum Cantilenam canant: Quando transibit mensis, & venundabimus frumenta, & Sabbathum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, Amos 8. v. 5. Sermo enim Dei plurimis onus est, Jer. 22. v. 39. idèò terrenis occupati sunt, ut intereâ viæ Sion lugeant, Thren. 1. v. 4.

Quod si aurum & argentum in æde sacrâ distribueretur, non dubito, quin homines in frequentia accessuri, & quilibet ad auferendum paratissimus foret: Verùm cœlestes thesauri, qui per verbum & Sacra-

menta distribuuntur, parùm curantur, hic facilè satias nos capit, ut multi unâ concione mensent, & S. Cœna annum, si non plures, contenti sint. Hinc scitè Lutherus alicubi scribit: Wann ich Geld gnug hätte zu geben den Leuten / ich wolte die ganze Welt bald Lutherisch machen / und noch viel Lutherischer / als ich bin.

Dolendum sanè est, impium mundum temporalia æternis adeò profetere, nec perpendere, quod Christus ait: Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & cætera omnia adjicientur vobis, Matth. 6. 33. Deus sex dies concessit nobis ad corpus curandum, unum saltem cultui suo consecravit, ut illo cibum operemur, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, Joh. 6. v. 27. Attramen Satanas corda nostra adeò ad terrena incurvavit, ut ea vix attollere queamus, sed aurum magis diligamus, quàm Deum, & hoc modò conscientiam cum salute perdamus. Quid verò prodesset homini, si totum mundum lucraretur, animæ verò suæ detrimentum pateretur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima suâ? Matth. 16. v. 26.

Hic multa exempla enarrari possent, quomodo Deus in Sabbathi profanatores animadvertit, si instituti ratio permetteret. Non verò dubium est, quin idem justissimus vindex adhuc vivat, & sicut omni tempore flagitia & peccata punivit: sic etiam non miserebitur omnibus, qui operantur iniquitatem, Psal. 59. v. 9. Ne erretis, non iridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

III. *Prae eminentia affectationem.* Hoc vitio laborabant Pharisei, amabant illi primos recubitus in mensis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in

foro, ut Christus illis exprobrat, Matth. 23. v. 6.

Hoc turpe vitium est, quod in ultima hâc mundi fece nimio opere invaluit, ut experientia probat. Equidem cum Anabaptistis non facere possumus, qui simpliciter omnes honorum gradus rejiciunt, prætendentes, in Regno Christi aequalitatem inter omnes obtinere, ex hâc ratione, quia fides personarum acceptionem non admittat, Jac. 2. v. 1. At hoc de spiritualibus beneficiis intelligendum, quæ Christus per sanguinem & mortem suam acquisivit nobis, ad hæc tam egeni quam opulenti pertingere possunt, modò fidem habeant, quam oculi Domini unice respiciunt, Jer. 5. v. 3. hanc qui habet acceptus est illi, sive sit Judæus, sive Græcus, mas aut fœmina, servus sive liber, Gal. 3. v. 28.

Interea in exteriori vita diversi honorum gradus manent, ubi Deus alium alii prætulit: non enim confusionis est Deus, sed pacis, 1. Cor. 14. v. 33. & sicut in corpore membra distinxit, capiti primum locum assignavit, pedibus ultimum, 1. Cor. 12. v. 23. Ita etiam in vita humana omnia juxta ordinem disposuit, ut quidam sint *ἐν τιμωτέροις*, honoratiores, ut in Evangelio vocantur, his jure quoque primus locus debetur, juxta illud: Cui honorem, honorem, Rom. 13. v. 7.

Quod si igitur quilibet intra concellos se cohibet, & locum illum occupat, qui ipsi ratione functionis & officii debetur, rectè facit, nec à quoquam reprehendi potest. Nam unum quemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17.

Ex adverso verò, tumidi multi inveniuntur, qui Pharisæis nihil in parte hâc con-

cedentes, in omnibus prærogativam quarunt, & sæpè opprobrii loco ducunt, si honoratiores alii ipsis præferantur, hi fatui sunt, qui stultitiam suam aperiant, Prov. 13. v. 16.

Vitent ergò Christiani hoc vitium. Ne gloriosus appareas coràm Rege, & in loco Magnorum ne steteris; melius est enim, ut dicatur tibi: Adscende huc: quàm ut humilieris coram Principe, ut videant oculi tui, Prov. 25. v. 6. 7.

De Secundo,

SEquitur *Medela*, quæ fuit
I. *Ex Christi mansuetudine.* Non sanè latebant Dominum insidiæ Pharisæorum, atramen ad invitationem eorum apparet, occasionem querens, utrum illos salutari colloquio ad frugem reducere possit, & unam atque alteram animam à morte salvare, Jac. 5. v. ult. si nihil efficiat, tamen quæ muneris sui sunt fecisse, & hâc *φιλανθρωπία* suâ quasi carbones ignis super caput illorum congestisse, putandus est, Rom. 12. v. 20.

Maximè verò propter nos id factum, ut agnoscamus hinc, quam mansuetum Dominum in Christo habemus, qui non reddit pro malo malum, sed perfidiam atque malitiam inimicorum suorum, multa patientia suffert. Illi dolos in animo versant, ipse autem esurit & sitit salutem eorum; ipsi laqueos ei tendunt, ille verò bonum ipsis exhibet & *verbis & operibus.* Operibus, dum hydropicum eorum curat. *Verbis;* dum egregiè ipsos instruit, nihil magis querens in omnibus, quàm ut illos ad Regnum cælorum emendare possit. Eodem modo

modo hodienuſ erga nos homines affectus eſt: Non enim delectatur in perditionibus noſtris, Tit. 3. v. 22. ſed diſſimulat peccata hominum propter poenitentiam, Sap. 11. v. 24.

Ne itaque divitias bonitatis ejuſ, & patientiæ & longanimitatis contemnamuſ, Rom. 2. v. 4. Tam cito enim irasce poteſt, quam miſereri, & ira illiuſ in peccatores non deſinit, Sir. 5. v. 7.

II. Ex Chriſti promittuntine. Hic dicitur: Et reſpondens Jeſuſ dixit ad Legiſperitoſ & Phariſæoſ: An licet Sabbatho curare? Abſolum videtur, quempiam reſpondere, ubi non interrogatur. Verum implet hic Chriſtuſ promiſſionem, quam dudum fidelibus ſuis fecit: Antequam clament, ego exaudiam, Eſa. 65. v. 24.

Et quia Sanator Iſraeliſ eſt, ut vocatur, Exod. 15. v. ult. obligat vulnera noſtra, & ſanat omneſ infirmitateſ noſtraſ, Pſal. 103. v. 3. quin & virtute ſua divina efficit, ut anima & corpore ſanemur, hic & in æternum. Conturbata enim ſunt viſcera ejuſ, miſerans miſerebitur noſtram, Jer. 31. v. 20.

Quandocunque proinde in morbum incideriſ, in tempore ad Medicum hunc recipe te, dicens: Sana me Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvuſ ero, Jer. 17. v. 14. ſic ille benignè reſpondebit tibi: Ne timeaſ, quia ego tecum ſum; neque timearis, quia ego Deus tuuſ: confortabo te, & auxiliuſ tibi feram, & ſuſtentabo te, dexterâ juſtitiæ meæ, Eſa. 41. v. 10. neminem enim eſcieiet forâſ, qui ad eum venerit, Joh. 6. v. 38.

Nos gratum animuſ confeſſemur, ut Medico huic, quia tam promptuſ eſt ad noſ

juvandum, viciffim ſerviamuſ, in juſtitiâ & ſanctitate, in conſpectu ejuſ, omnibus diebus vitæ noſtræ, Luc. 1. v. 75. Pſal. 110. verſ. 3.

In vita communi vulgareſ verſiculi locum habent:

Treſ facieſ Medicuſ habet, unam quando rogatur

Angelicam: mox eſt, cum juvat, ipſe Deus.

Aſt ubi curato poſcit ſua munera morbo, Horriduſ apparet, terribiliſq; Satan. Verum iniquuſ id eſt: Dignuſ quippe eſt operariuſ mercede ſua, Luc. 10. v. 7. Sicut igitur tibi promtè inſerviit, ita & promtè officiuſ ejuſ remunerabiſ. Rectè enim Ovvenuſ:

Pharmaca daſ ægroto, aurum tibi porrigit æger,

Tu morbuſ curâſ illiuſ, ille tuuſ. Sic & noſtrum erit, ut erga Chriſtuſ gratitudinem exhibeamuſ, quando noſ è morbo eripuit, ne ultima ſiant deteriora prioribus. Non enim benè erit beneficia non compensanti, Sir. 12. v. 3.

III. Ex Chriſti fortitudine. Non enim metuit inimicoſ ſuoſ, ſed quamvis exploratuſ ſibi habeat, quod nihil aliud intendant, quam ut ſe tranſgreſſorem legiſ, & profanatoreſ Sabbathi faciant: atamen cum curatiõne pergit, eamque ita defendit, ut omneſ obmutuſcere cogantur. Verè hic impletuſ, quod Eſaiâſ dixit: Inite conſiliuſ, & diſſipabitur: loqui mini verbuſ & non fiet: quia hic eſt Immanuel, Eſa. 8. v. 10.

Revocate hoc vobis ad animuſ, voſ mei, & confirmate animoſ veſtroſ, quando auditiſ, hoſteſ Evangelicæ veritatiſ, varias

rias machinationes & consilia inire, ut novum bellum excitent. Qui habitat in cœlis, iridebit eos; & Dominus subsannabit eos, Psal. 2. v. 4. facile in foveam cadere possunt, quam aliis parant. Nos Deo confidamus, qui adeo miraculose servavit nos, ille etiam potè auxilio suo aderit nobis, quò in pace, vallem hanc miseriarum transeamus: & ubi fatis certaverimus, liberabit nos ab omni malo, & salvos faciet in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regalis, ut sunt

I. *Frugalitati stude*. De Christo dicitur hîc, quod introiverit in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbatho, manducare panem. Pientissimus Servator aliàs parcè ac duriter se habebat, & tantâ sepè fame stimulabatur, ut etiam in arboribus victum quæreret, Matth. 21. v. 9. Ubi contra Pharisæorum & Pontificum Hierosolymitanorum frumentum & mustum multiplicata erant, Pl. 4. 8. & ex promptuariis plenis de frumento in frumentum educere poterant, Psal. 144. v. 13. Sed rarum contingens erat, ut Christum & membra ejus ex abundantia illa honorarent. Ideò ait Evangelista, factum esse, nimirum præter morem, & fuisse insolitum quid, quod Christus à Pharisæis in convivium adhibitus fuerit.

Sicut autem optimus Servator comparuit, non ut modum excederet, sed ut *manducaret panem*: Ita & nos ad exemplum ejus, crapulam atque luxuriam vitemus, apprimè caventes, ne ad epulas

invitati, corda nostra gravemus, Luc. 21. v. 34. sed tantùm capiamus, *quantum pios decet, & pudicis utile est*, sicut Tertullianus de primis Christianis scribit. In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Qui autem abstinens est, adjiciet vitam, Sir. 38. v. 33.

Imprimis verò *Verbi Pracones* minimè decet luxuriâ disfluere, & delicatis epulis inhære. Certus enim amicus contentus est præsentibus, Hebr. 13. v. 5. & læpè in modicis cibis plus voluptatis, quàm in opiparo obsonio.

Intereà tamen non vitio vertendum illis, si ad convivium rogati appareant, æquum enim est, ut & ipsi cum gaudentibus gaudeant, Rom. 12. v. 15. sed in timore Dei, Sir. 9. v. 23.

Videant itaque ne conforment se filiis hujus seculi, qui pro Ilio potant, uter ibi melior bellator erit inventus cantharo, ut Comicus ait: sed agitent convivium sermone suavi, habeantque oculum serpentinum in columbino corde, ut cum omnibus amicè conversentur, nemini autem nimium fidant, Sir. 6. v. 6. sicut ipse Christus ejusmodi prudentia usus legitur. Non enim Jesus credebatur semetipsum Judæis, eò quod ipse nosset omnes, Johan. 2. v. 25.

Tandem & hoc observent, ne ad postremum remaneant, sed in tempore abitum maturent. Vide Sir. 32. v. 15. 16. 17.

II. *Sabbathum cole*. Judæi hîc in excessu peccarunt, dum putarunt, opera caritatis & necessitatis die Sabbathi prohibita esse, qualia sunt asinum aut bovem puteo extrahere, aut vulneratum & infirmum medicamen-

camentis adjuvare. Propterea hydropicum hunc Christo presenterunt, rati, si ille hunc cutaret, jure se eum coram omnibus, ceu Sabbathi prophanatorem diffamatos.

E diametro verò nos Christiani nimium frigemus, & in defectu peccamus, quod Sabbathi sanctificationem concernit. Quinimò nulla dies est in totà hebdomade, ubi crapula, ebrietate, & promiscuis libidinibus plus peccatur, quàm die Dominicâ, quod gravissimum peccatum à Deo variis modis puniri solet. Qui polluerit Sabbathum morte morietur; qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui, Exod. 31. v. 14.

Nos regia viâ incedentes illa seponamus, quæ nos à Dei cultu & animi devotione abstrahere possunt, nisi casus necessitatis, & amor proximi diversum requirant. Nam *lieb und Noth hat kein Gebot.*

Ad hoc ipsum obstricti sumus, vi tertii præcepti. In locum enim Sabbathi, qui Judæis olim sanctus erat, successit dies Dominica, quam Apostoli ex libertate Christianâ eum in finem ordinarunt, ut eâ conveniamus docentes & commonentes nos ipsos in Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, Col. 3. v. 16. Idque in memoriam Servatoris nostri, qui primo hebdomadis die ex mortuis resurrexit, & ita hunc diem in verum Solis diem sanctificavit, dum ipse velut Sol justitiæ, Mal. 4. v. 2. è tumulo redivivus prodiit, & totum mundum, potissimum verò tenebrosa nostra corda, radiis gratiæ suæ ad vitam æternam illuminavit, Joh. 1. v. 9.

Sicut igitur Judæi Sabbathum suum sanctificare cogebantur, vi præcepti: Memento die Sabbathi, ut illum sanctifices, Exod. 20. v. 8. 10. Ita & nostrum erit, diem Solis tanquam Sabbathum novi Testamenti sanctificare, eoque Deo cultum suum præstare,

1. *Purâ confessione.* Ne deseramus collectionem nostram, sed cum confratribus nostris ædem Domini accedamus, precibus ipsi litantes, quæ propterea domus orationis dicitur, Luc. 19. v. 46. Tum & sacrificium laudis ei offeramus, pro omnibus, quæ nobis præstitit, beneficiis. Hortor igitur, inquit Apostolus, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honestate: hoc enim bonum est, & acceptum, coram Salvatore nostro Deo, 1. Tim. 2. v. 1. 2.

2. *Devotâ attentione,* ut verbum attentè audiamus, exemplo Cornelii, dicentis ad Petrum: Omnes nos in conspectu Dei adsumus, audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino, Actor. 10. v. 33. Qui enim ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47. ejusmodi verbum, quod desiderabile super aurum obrizum, & dulcius super mel & fayum, Psal. 19. v. 13. ejusmodi verbum in quo vivitur, Esa. 38. v. 16. & quod potentia Dei est ad salutem omnium credenti, Rom. 1. v. 16.

3. *Vita correctione.* Si enim à peccatis desistis, & voluntatem Dei facis Sabbatho, tùm vocabitur Sabbathum jucundum, in

Huc pertinet, ut & de nostris facultatibus eleemosynas in pauperes erogemus, exemplo viduæ, Marc. 12. v. 42. maximè verò vitam nostram ad verbum prædicatum componamus, juxta instructionem Jacobi: Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, Jac. 1.

Quodsi ita Sabbathum sanctificaverimus Dominus benedictione sua nobis præstò erit, ut benedicti simus in civitate, benedicti in agro, benedicti ingredienti, & benedicti egredientes, Deut. 28. v. 2. 6. Quodsi verò prophanaverimus, facile Deus ignem in portis nostris succendere poterit, qui devorabit domus nostras, & non exstinguetur, Jer. 17. v. ult.

III. *Proximo succurre.* Eò collineat Servator, simili de bove & asino mutuato, in puteum cadentibus: sicut enim illi continuo extrahuntur die Sabbathi, ne pereant: Ita multò magis proximo laboranti manum porrigamus, ne despexerimus carnem nostram, Esa. 58. v. 7.

Inveniuntur, qui nihil patiuntur super contritione Joseph, Amos 6. v. 7. & licet videant proximum in extrema pauperie, sive etiam in vitæ discrimine versari, prætereunt, ut Sacerdos & Levita, Luc. 10. v. 31. Sed hoc ipso à norma Christianismi aberrant. Qui habuerit substantiam hujus

Dominica XVII. post Trinitatis.

mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & claudit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? 1. Joh. 3. v. 17. Quodsi igitur genuini Christi discipuli esse velimus, necessitatibus Sanctorum communicare tenemur, Rom. 12. v. 13. Pater quippè cælestis Solem suum oriri facit, super bonos & malos, Matth. 5. 44. & præstat nobis omnia abundè ad fruendum, 1. Tim. 6. v. 17. Servator verò in diebus carnis suæ pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 38. hoc ipsum & nos faciamus, nec proximum sine ope atque auxilio relinquamus. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Prov. 21. v. 13.

Verùm si hodiè mores hominum spectemus, tantùm abest, ut hic vel ille proximo laboranti succurrat, ut eundem potius omnibus injuriis lacestat, & iniquè agendo sese fatiget, Jer. 9. v. 5. sed & judicium sine misericordia illi erit, qui non fecerit misericordiam, Jac. 2. v. 13. Quilibet igitur vitium hoc immane declinet, sitque potius compatiens, fratrem amans, misericors, affabilis, 1. Petr. 3. v. 8. Sic beneficium in cælis Patrem habebimus, à quo & nos suo tempore misericordiam consequemur, Matth. 5. v. 7. introducet enim nos in vitam æternam. Quod fiat per Dominum & Servatorem nostrum **JESUM Christum, Amen.**

DOMI-